Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

indulgeri. Quod [...]ia ultra differimus. Omnis caro fenum. et omnis gloria eius quasi flos feni. Reversus est terra in terram suam. dormivit in domino. et appositus est ad patres suos. plenus dierum et luminis. et nutritus est in senectute bona. Cani enim hominis sunt. sapientia eius. In brevi etate multa tempora complevit. Tenemus pro illo dulcissimos filios. uxoris heres pudicicie, precium est. Hebridius pusio patrem q[...]rentibus exhibet. sic oculos. sic ille manus. sic ora ferebat. Scintilla vigoris paterni plena lucet in filio. et similitudo morum per speculum carnis erumpens. ingentes animos angusto in pectore versat. Iungitur ei germana ro[...]nes. sarum. et liliorum calathus. eboris. floris. ostrique commercium. Sic refert in ore patrem. ut ad venustatem propensior sit. Sic matrem mixta pingit similitudine. ut in uno corpore utrumque cognoscas. Ita suavis est et mellita. ut honor sit omnium propinquorum. Hanc tenere non dedignatur augustus. hanc fovere in sinu regina letatur. certatim ad se omnes rapiunt. pendet e collo. heret in brachiis singulorum. garrula atque balbutiens. lingue offensione fit dulcior. Habes igitur saluina quos nutrias. in quibus virum absentem te tenere credas. Ecce hereditas domini. filii merces. fructus ventris. Pro uno homine duos filios recepisti. auctus est numerus caritatis. Quicquid debebas marito, redde filiis. amore presentium. absentis desiderium tempera. Non est parvi apud deum meriti, bene filios educare. Audi apostolum commonentem. Vidua eligatur. non minus annorum LX. que fuit unius viri uxor. in bonis operibus habens

testimonium. Si filios educavit. si hospitalis fuit. si sanctorum pedes lavit. si afflictis habundanter prebuit. si omne opus bonum subsecuta est. Vidisti catalogum virtutum tuarum. quid debeas nomini tuo. quibus meritis. secundum pudicicie gradum possideas. Nec te moveat quod sexagenaria eligitur in viduam. et putes adolescentulas ab apostolo reprobari. Et elegi te crede. ab eo qui discipulo dixerat. Nemo adolescentulam tuam contempnat. Non continentiam. sed etatem. Alioquin, omnes que infra etatem LX. annos viduate sunt. hac lege accipient maritos. Sed quia rudem christi instituebat ecclesiam. et omni ordini providebat. precipueque pauperibus. quorum ei cura cum barnaba fuerat demandata. illas vult ecclesie opibus sustentari. que propriis manibus non queant laborare. que vere vidue sunt. quas et etas probat et vita. Heli sacerdos. offendit deum ob vicia liberorum. Ergo et placatur deus. e contrario virtutibus eorum. si permanserint in fide. et caritate. et castitate. et sanctitate. cum pudicicia. O thimothee. te ipsum castum custodi. Absit ut sinistrum quippiam michi suspicari de te liceat. sed ex habundanti lubricam etatem monuisse pietatis est. Que dicturus sum. non tibi. sed puellaribus annis dicta sunt intellige. Vidua que in deliciis est. vivens mortua est. Hoc vas electionis loquitur. et de illo profertur thesauro. qui confidenter aiebat. an experimentum queritis. eius qui in me loquitur christus. Hoc ille pronunciat. qui libere sub persona sua fragilitatem humani corporis fatebatur. Non enim quod volo bonum operor. sed quod nolo malum. et propterea